



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

§. 2. De generalibus Conciliis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

nisi in causa hæresis. Cum enim potestatem suam non ab Ecclesia, sed à Christo acceperit, consequens est, ut eadem excidere non possit, nisi Christo permittente & auferente. Quod accidit 1. Si in hæresim notoriam labatur. 2. Si papa resignet Ecclesia accipiente 3. Si exterius se gerat ut hæreticum, ideoq. Ecclesia alium eligat. 4. Tempore Schismatis; in quo Ecclesia cognoscere non possit, quis verus Pontifex sit, potest alium eligere.

8 Sedes Romana per antonomasiam Apostolica appellatur, non tantum quia in ea Principi Apostolorum Petro succeditur, sed etiam quia cum simili auctoritate Apostolica & vniuersalis gubernationis succeditur; quod nulli alteri Episcoporum concessum est: ij enim Apostolis successerunt in Episcopatu Ecclesiæ particularis, sed non in Episcopatu seu vniuersali iurisdictione erga fideles omnes.

N.B. Quod Romani Pontifices abhorreant solum à nomine Oecumenici, seu Episcopi vniuersalis, propter Constantinopolitanos Patriarchas, quibus nomen superbe sibi arrogare ausi sunt.

§. II.

De generalibus Conciliis.

9 Concilia generalia dicuntur, quæ summi Pontificis auctoritate congregata sunt, vniuersalibus Christiani Episcopis conuenientibus, (saltem potentibus venire & nomine excluso.) Ea potestatem habent vniuersales leges in Ecclesia condendi, & fidei controuersias decidendi. Decreta tamen debent mitti Romam, & à Papa confirmari. Nam Papa

extra urbem non solet in propria persona interesse Concilij.

Soli Episcopi in Concilij sententiam decisivam ¹⁰ dicunt, iure proprio & ordinario : sed ex privilegio & consuetudine etiam alijs Ecclesiasticis , non item laicis (ne quidem Imperatori) personis competere solet , iuxta illud *Joan. 20.* Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. Quare cum omnes fideles ad Concilium venire possibile , aut conueniens non sit , eorundem capita vicem omnium repræsentant.

§. III.

De Iure Communi Canonico.

Ius Commune Canonicum , quatenus in Scholis ¹¹ traditur, 5. partes complectitur. 1. Decretum Gratiani Monachi Benedictini , ex Sacræ Scripturæ sententijs , Conciliorum & Pontificum Decretis, Romanorum Imperatorum Legibus , & Patrum dictis compilatum. 2. Quinque libros Decretalium. 3. Sextum Decretalium 4. Clementinas. 5. Et Extravagantes constitutiones.

Opus Gratiani hactenus à nullo pontifice appro- ¹² batum est, quamobrem quæ in eo adducuntur capitula, singula ad suam originem reuocanda sunt, vt appareat, quantam authoritatem mereantur.

NB Licet Gratiani & S. Patrum Dicta nullam per se authoritatem iuris habeant, (cum in iure condendo, non sola scientia, sed magis etiam potestas necessaria sit, iuxta c. 1. dist. 20.) tamen consuetudo obtinuit, vt in externo foro etiam illa ad causarum decisionem inseruiant.